

unde omnes partes abbreviatæ, et calyx quoque obtusiusculus.

Ad regionem sylvatico-umbrosam pertinent: *Viola umbrosa* v), *Viola canina* γ., et imprimis δ. x). Porro *Carex digitata*, respectu *C. ornithopodæ*; *Betula alba*, var. *pendulina*; *Salix pentandra* β *cuspidata*: (*Sal. cuspidata*, Koch.) in Vestrobotniæ sylvis; *Sal. nigricans*, foliis tenuissimis glabris, subintegris; *Sal. aurita* var. *umbrosa* germinibus glabris, foliisque lanceolato-oblongis glabris plicatis, in sylvis umbroso-humidis, (Piteå gl. stad); *Sal. livida* germ. glabr. foliis tenuissimis, pellucidis (Piteå et Karesuando) in sylvis umbroso-humidis γ). Ex quibus satis superque demonstrari opinor, plantas in sylvis umbrosis extenuari atque gracilescere solere; siccis autem apricisque locis abbreviari et solidiores fieri.

§. 43.

Vegetatio montana est vel *collina* vel *rupestris*. Montes, sylvis umbrosis consitos, ad regionem sylvestrem refero.

v) Quamquam bene distincta videtur, ob locum valde umbrosam varietas *V. hirtæ* esse posset.

x) *Viola canina* γ. habet se ad *Violam caninam* α., ut *V. palustris* β. ad ejusdem α.

γ) Omnia Salicum folia valde gracilescunt in sylvis umbrosis.